



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

CLXXXI. Der Rath der Altstadt Salzwedel bekundet die Stiftung, welche Mathilde Spyker zu Gunsten der Gewandschneidergilde und der Armen gemacht hat, am 30. September 1362.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54909)

CLXXXI. Der Rath der Altstadt Salzwedel befundet die Stiftung, welche Mathilde Spyker zu Gunsten der Gewandſchneidergilde und der Armen gemacht hat, am 30. September 1362.

Nos hinricus mechow, Coppe brunnow, Arnoldus Clytzeke, Nycolaus godſcalci, Godfried dictus Hermanni, hinricus wytyng, Conrad brewytz, Johannes Stargarde, henricus wyſtede, bethekinus de chuden, hennekinus yan et Johannes Latekote, Conſules veteris Ciuitatis Saltwedel, preſentibus Recognoſcimus euidenter proteſtantes vniuerſis, quod conſtituti coram nobis honeſti viri Betekinus de Chuden et hinricus wyſtede, quondam noſtri dilecti In conſilio ſocii, Magiſtri ghyldę pannicidarum noſtre Ciuitatis, Conſiderunt Rite et Rationabiliter noſtro et noſtrorum prehabito pleno conſilio et vendunt per preſentes prouide domine mechtildi, conthorali Gherardi dicti Ipyker, noſtri conciuſis, pro octoginta marcis brandeburgenſis argenti, per eam ipſis Integraliter perſolutis et In vſum predictę ghyldę pannicidarum per eos Conuerſis, Sedecim talenta denariorum noſtre monete annui cenſus, quolibet anno ſuper feſtum beati martini epiſcopi et confeſſoris ad tempora vite ſue Integraliter et expedite ex fiſco ſeu marſubio prenotate ghilde pannicidarum perſoluenda: huiuscemodi vero conditione firmiter annexa, quod poſt deceſſum ſeu obitum predictę domine mechtildis vndecim talenta denariorum ex predictis Sedecim talentis denariorum annui cenſus Libera prenotate ghilde cedere debeant et Soluta, Sed alia Quinque talenta denariorum ex ſepredictis ſedecim talentis annue penſionis Magiſtri Ghilde preexpreſſe pannicidarum pro tempore exiſtentes omni anno in perpetuum . . exponere tenebuntur In hunc modum, quod cum tribus talentis denariorum ex illis quinque talentis triginta paria calciorum et cum Reliquis duobus talentis ex eiſdem quinque talentis vnus pannus ſtendalgenſis comparabuntur, Que triginta paria calciorum et qui ſtendalgenſis pannus pro ipſius mechtildis predictę, parentum et puerorum ſuorum et omni Criſtifiſdelium animarum Remedio et Salute omni anno per predictos magiſtros predictę Ghilde in perpetuum Super feſtum beati martini pauperibus diſtribuentur. Inſuper profitentes proteſtamur per preſentes quod predicta prouida domina mechtild nobis vnam marciam brandeburgenſis argenti In vſum noſtre predictę ciuitatis conuerſam preſentauit, pro qua vna Stopa vini per camerarios noſtre predictę ciuitatis ſingulis annis comparabitur, Que nobis aut noſtris In conſilio ſucceſſoribus ſuper diem dominicam, qua cantatur Ad te leuamur etc. poſt cenam quando ſeparamur aut ſeparantur, debeat propinari pro eo, quod Nos aut ipſi noſtri In conſilio ſucceſſores debemus aut debebunt habere commonitos predictos magiſtros ghilde prenotate pro tempore exiſtentes, quod predicta Quinque talenta denariorum quolibet anno In vſum pauperum per eos In forma predicta conuertantur. In cuius Rei euidens et ſtabile teſtimonium Sigillum noſtre memorate Ciuitatis preſentibus eſt appenſum. Datum Anno domini M^o. CCC^o. LX^o. ſecundo, feria Sexta poſt feſtum beati Michahelis archangeli.

Nach dem Original im Stadt-Archive zu Salzwedel, Fach 14, No. 26.